



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

8. An in hæresi detur parvitas materiæ? Ex p. 5. t. 5. res. 28.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. VI.

An Hæreticus ignorans excommunicationem in illam incidat: Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Ref. 18.

Videtur negativè respondendum ex Sanchez in summa, tom. 1. lib. 2. capite 8. n. 5. ubi indicat hæreticum ignorantem censuram, in illam non incur-
rere; quod de omni excommunicatione ob quodvis delictum dixerat tom. 3. de matrim. lib. 9. disp. 32. num. 13. & hæc contra Suarez in 3. part. tom. 5. disp. 4. sect. 19. n. 10. Ego ipse alibi cum Sanchez loco citato n. 31. putavi satis probabile esse, etiam si delinques ignoraret censuram ignorantia culpata, & vincibili, non autem crassa, neque supina.

2. Sed hæc doctrina non procedit in Regnis, ubi tantum eorum fulcrum, & fundamentum sacrosanctum Nostri Inquisitionis Hispanicæ Tribunal institutum est: & ideo Hurtadus de Mendoza in 2. 2. disp. 89. sect. 2. §. 9. sic asserit. Observavi in Hispania mortaliter esse impossibilem ignorantiam legis Ecclesiasticæ excommunicatis hæreticos, quia Quæstiones Pharus totum Regnum illustrat, nec angulus non torretur ejus igne. Tota item Provincia est plena Quæstionum ministris, quorum edicta de concione frequenter in personant. Quapropter nullus potest ad absolutionem 7. ut 1. ignorantiam præterere, nisi crassissimam. Inconsideratio actualis facillime continget, si hæreticus sit solus, potest enim raptus in contemptationem erroris, legum Ecclesiasticarum oblitus censere falli universam Ecclesiam, idque voce proferre; sæpe enim ardor studij mentem advocat ab aliarum rerum consideratione, nec sinit præverti ratione actus externos. Hæc in re arbitror apud nostros id esse moraliter impossibile, est enim tanta mutatio de Catholico in hæreticum, ut non crediderim eam fieri, quin rectè expendantur quæstionæ leges. Si verò testis adsit, magis impossibile est moraliter ea hæresis externa cum inconsideratione, tantus enim est metus, ne ad Quæstiones deferatur ejus nomen, ut sit attentissimus actionibus externis; prudentiores enim nos reddit metus injectus, quam obliviosus studium. Idem dixerim de Provinciis, in quibus more Hispanensi Quæstiones vigent, nisi forte apud barbaros Indos, & parum cultos nonnullos ejusmodi invenies distantes à ministris Quæstionis, quod item est impossibile, propter diligentiam Magistrorum. Quapropter existimo apud nos non posse probabiliter aliquem excusari à censura, nec reservatione. Hæc omnia Hurtadus, cui ego libenter adhæreo.

RESOL. VII.

An sit hæreticus externus, qui simulat se dormire, & profert aliquam hæresim, quam verè tenet, si audientes sibi persuadeant, verè eum dormire? Ex p. 5. tract. 13. & Misc. 1. Ref. 17.

Casus est curiosus. Vnde in tui gratiam visum est mihi, amice Lector, ea, quæ circa ipsum Philosophatur Hurtadus de Mendoza, hic apponere, is enim qui semper de thesauro suo nova profert, sic ait in 2. 2. disp. 83. sect. 3. §. 29. Demus hominem non dormire, sed simulare somnum, ita ut omnes sibi persuadeant eum dormire, & cum hac simulatione loquatur hæresim, quam tunc verè conceptam habet; pono

fictionem illam somni esse occultam per se, & purè mentalem, non explicatam signo ullo eam indicante probabiliter. Rogas utrum hic sit hæreticus externus? Quæstionem hanc numquam ausus, videtur autem dirimi posse ex principiis adductis in partem negatam; quia tunc nullus absque peccato temeritatis potest loquentis mentem hæreticam interpretari, persuasi enim illum dormire, non habent fundamentum ad eum damnandum hæresis, quod confirmo primò. Si quis simulat amentiam tam aptè, ut eam omnibus persuadeat, si verè sit hæreticus, & hæresim loquatur, à nullo censeretur hæreticus, ut à nullo censeretur injuriosus, aut blasphemus, aut latro, tamen multa efficiat, quæ in homine sano essent evidenti argumento illorum vitiorum. Secundò confirmatur. Si comædus sit hæreticus purè mentalis, agens autem fabulam suscipiat personam, hæretici, hæresisque proferat, illas quidem sentiens animo hæretico, hic non est hæreticus externus in hoc sensu, quamvis committat peccatum externum contra fidei confessionem; licet enim ab ipsis Quæstionibus & Papa audiatur, nullam patit hæresis suspicionem, quia ex circumstantiis comædiæ, debent illa verba adscribi, non hæresi, sed tragico muneris, est ergo illa hæresis purè mentalis, quod attinet ad ejus conjecturam faciendam ex eo signo, ex quo non potest fieri magis, quam si non esset, quo differt ab hæretico externo, qui est occultus per accidens, qui si non cognoscitur ab aliis, est ex defectu audientium, non ex defectu sui. At comædus si non cognoscitur esse hæreticus, non ex defectu audientium, auditur enim ab ipso Papa, sed ex defectu sui, quia loquitur in circumstantiis, in quibus non manifestatur hæresis ejus, sed illius, cujus suscepit personam. Ratio est, quia ut signa imperfecta solent ex circumstantiis perfectè significare hæresim, & animum occultum, sic perfectæ signa possunt ob circumstantias illam occultare. A posteriori autem est argumentum quod nullus, quamvis ardenti studio fidei flagret, hæresim suspiciatur in loquente, quem dormire credit, sed verba accipit cum risu, ut in amente, atque comædo in theatro. Est ergo opus ut ex signo possimus prudenter credere rem significatam: si autem non per accidens, sed per se non possumus mentem loquentis hæreticam interpretari, hæresis est per se occulta & interna. Si verò humanitus posset quis prudenter credere illos homines nec dormire, nec esse in amentia, sed eam simulari, tunc absque controversia essent hæretici externi, quia tunc hæresis esset occulta per accidens, & non per se; in foro autem conscientiæ illæ actiones sunt peccata externa, & explicanda in confessione. Ita Hurtad. qui tamen, his non obstantibus, non audet absolute asserere hos non esse hæreticos externos, quia hæretici sunt, qui expriment verba suam hæresim, quam occultant per accidens, & non per se. Vnde Villalobos in summa tom. 21. tract. 1. diff. 11. num. 4. sic ait: [Basta que la heregia se manifieste exteriormente por palabra, obya, y señal, aunque sea occulta, porque en tal caso la heregia verdaderamente es exterior, aunque accidentalmente es oculta.] Et ut verum fatear hos esse hæreticos, videtur apparere, quia eorum locutio licet in somno simulato conjungitur hæresi, & manifestatur, quod non accidit in vero dormiente.

RESOL. VIII.

An in hæresi detur parvitas materia? Ex p. 5. tract. 5. Ref. 28.

Affirmativam sententiam videtur docere Sayrus in Clavi Regia, lib. 12. cap. 2. num. 19. ubi

Sup hoc sup. in ref. §. 1. ante med. cursum in sic

G g 4

Addant, & sic ait: In materia fidei potest esse peccatum veniale, ut in 10.4. tr. 6. ex doctrina Ref. 21 §. Dicendum, per totum.

2. Sed contrariam sententiam sustinendam esse puto, quam tueretur Castrum Palans tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 7. n. 2. Merolla tom. 1. disp. 2. cap. 4. dub. 7. n. 112. Alphonsus de Leone ubi infra. Baldellus tom. 1. lib. 3. disp. 14. n. 1. Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 1. Molfesius in summa, tom. 1. tract. 8. cap. 8. n. 66. & alij asserentes, quod in aliquibus peccatis in quacunque materia minima reperitur integra ratio malitiæ sufficiens ad mortale, ut est peccatum infidelitatis, odium Dei, contemptus ipsius, &c. & ideo Baldellus in disp. Theol. tom. 1. lib. 3. disp. 14. num. 13. sic ait: Quin ratio obiecti per se prima in actu infidelitatis est ut fides negetur ipsi Deo aliquid revelanti, & ex hac sola præcise, considerata fundatur oppositio gravis ad virtutem fidei, & malitiæ gravis non dicitur, quod in actu infidelitatis possit dari materiæ parvitas, & culpæ levitas, sed omnis materia in ordine ad illam sit notabilis, & omnis culpa sit gravis, etiam si alioqui in se ipsa sit res minima.

3. Nota tamen quod Alphonsus de Leone de officio Confessor. par. 1. recoll. 7. num. 45. non negat esse verum exemplum possum à Sayro de levissimo verbo sapiente heresim, nam ipse concedit esse posse peccatum veniale.

RESOL. IX.

An in Sorilegiis, & Magia detur parvitas materiæ?

Et an possit fieri, ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali ratione ignorantia? Ex p. 5. tract. 5. Ref. 29.

§. 1. **R**espondeo negativè cum Lessio lib. 2. cap. 44. dub. 4. n. 26. ubi sic ait: Peccatum magiæ ex genere suo est mortale, quia continet tacitam, vel expressam dæmonis invocationem, ac proinde societatem & benevolentiam erga illum; fieri tamen potest ut aliqui actus magici excusentur à peccato mortali, ratione ignorantia, ut si quis ignoret, vel non advertat tacitam illam invocationem, cum hæc sit sæpè valde occulta. Plerumque tamen ingeritur homini aliqua suspicio latentis mali, ratione cuius tenetur abstinere, donec plenius de re cognoverit, quod si non faciat, peccat factum venialiter. Ratione levitatis materiæ præcise non videtur unquam esse veniale, quia quod in re parva, vel ludicra dæmon invocetur, per se non minus crimen est, quam si id fieret in magna. Similiter tacita, vel remota invocatio, si plena consideratio adit, est ejusdem rationis, ac expressa: sæpè tamen contingit, ut quando res est modica, non apprehendatur mali magnitudo, & sic potest esse veniale defectu animadversionis. Ita ille, cui adde Castrum Palans tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 7. num. 2. Alphonsus de Leone de officio Confessor. par. 1. recoll. 7. n. 42. Valentiam tom. 3. disp. 6. quest. 12. punct. 4. Delrium in disquis. mag. lib. 4. cap. 2. §. 4. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 38. n. 18. & alios.

RESOL. X.

An laicus doctus possit disputare cum heretico?

Et explanatur, quid in cap. Inhibemus, significent illa verba, Inhibemus, ne cuique laicæ personæ, &c?

Et an Religiosi Laici, seu Conversi, Donati, & Sancti-

moniales comprehendantur sub dictis verbis? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 12.

§. 1. **N**egativè respondet Villalobos in sum. tract. 1. disp. 7. §. 4. Suar. de fide, disp. 20. sect. 1. n. 11. Azorius tom. 1. lib. 8. c. 26. q. 1. Sanchez in sum. tom. 1. lib. 2. c. 6. n. 5. & alij, & ex c. Inhibemus de heret. in 6. ubi prohibetur expresse laicus sub excommunicatione disputare de fide Catholica, licet laicus sit doctus, tamen adhuc obligatur, & includitur sub dicta prohibitione quia cessante privative in singulari sine legis, non cessat in singulari ejus vis.

2. His tamen non obstantibus ego puto contrariam sententiam esse probabilem, quam tueretur Caietanum & Bañez in 2.2. q. 10. art. 7. Ledesma in summa, tom. 1. tract. 1. cap. 5. concl. 13. & Hurtados de Mendoza in 2.2. disp. 7. §. 3. §. 24. quia talis prohibitio facta est à lege, ne periculum creetur disputanti, aut audienti, & nullum alium finem, nec proximum, nec remotum, proposuit sibi ea lex. Sed cessante fine legis in particulari, cessat ejus obligatio, ut alibi satis probatum est: ergo, &c. Et ita hanc sententiam probabilem esse docent ipsi adversarii, ut Sanchez, & Villalobos ubi supra.

3. Sed obiter hic explicandum est, quid in dicto cap. Inhibemus, significant illa verba, Inhibemus, ne cuique laicæ personæ, &c. Sanchez ubi supra, numero 6. & Lorca in 2.2. quest. 10. art. 7. putant sub illis verbis comprehendere omnes, qui nec Clerici sunt, nec Religiosi. Hurtados autem docet significari omnes, qui continent tonsuram & habitum clericalem, etiam Religiosos, & præsertim qui in Religione vocantur Laici, seu Conversi, Donati, &c. Sed quid dicendum de Sanctimonialibus, comprehenduntur sub dictis verbis? Negat Lorca illas hoc canone præstringi, sed mercedis affirmat Hurtados.

RESOL. XI.

An si quis dicat Polta Di Di, Renego Di Di, Al dispetto Di Di, omiffa littera O, sit censendus blasphemus hereticus?

Et an jurans per membra honesta Christi non sit blasphemus, & secus si per inhonestia?

Et an qui eodem impetu & actu plures blasphemias contra unum Sanctum præfert committat ut peccata, quæ sunt blasphemias?

Et quid, si blasphemias diversis generis sint, & non sint una, & eadem sapius repetita? Ex p. 6. tr. 8. & Misc. 1. Ref. 38.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Auctor Canonum Consuetudinum Bononiæ discussores an. 1634. mense Martio decis. 3. ubi sic habetur. Sempronius, ex ira solet impie dicere Putana de Dio, sed pauld post subdit Bacco, vel Al dispetto de Di, omiffa littera O, quæritur an sit blasphemus hereticus? Respondetur Sempronium si cum advertentia sufficienti verba protulit, fuisse blasphemum hereticalem, in primo enim dicto tribuit Deo per contumeliam aliquid ei omnino repugnans, & in secundo abtulit quod Deus habet. Quamvis enim in primo dicto addiderit pauld post verbum Bacco (si tamen ad fugiendam blasphemiam non erat solitus illud addere) & in secundo omiserit litteram O. In utroque tamen casus est completa blasphemia heretica, cum sit completus verborum sensus blasphemiam continentium. Ita ille, qui citat Lazarium, & Bonacinum.

2. Sed contrariam sententiam docet novissimè Riccius tract. de Personis quæ in statu reprobo versantur, lib. 1.